

Stanisław Frankl

Interpretatio Jo 6, 54 in primo temporis spatio concilii Tridentini

Collectanea Theologica 17/3, 424-431

1936

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

INTERPRETATIO Jo 6, 54 IN PRIMO TEMPORIS SPATIO CONCILII TRIDENTINI.

Decursu laboris in decreto Tridentino de communione sub utraque specie formando suscepti obiectum acris controversiae fuit sensus verborum Christi, quae S. Joannes refert et quibus tum ultraquistae s. XV tum etiam varii calixtini s. XVI suas sententias probare conati sunt¹⁾. Cum enim Christus — en tenor eorum argumentationis — in oratione a S. Joanne relata de futura communione reapse loquatur atque expresse necessitatem manducationis sui corporis simulatque potationis sanguinis inculcat, communionem sub utraque specie pro omnibus fidelibus ex iure divino necessariam esse sequitur²⁾. Quapropter tum theologi, qui in laborem praeparativum, tum patres, qui in ipsis heterodoxorum articulos condemnatos atque in decretum concilii redigendum operam contulerunt, magno apparatu positivo adducto, per multum et longum disputabant, quonam sensu Christi verba intelligenda sint.

¹⁾ Jo 6, 54; Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.

²⁾ Articulus VII: De iure divino esse sub utraque specie etiam populum communicare, ac propterea peccare eos, qui cogunt populum altera specie uti. Concilium Tridentinum... Ed. Goerresiana (abbr. CTr), Friburgi 1911, V 870. Articuli haereticorum super Sacramento Eucharistiae prima vice propositi sunt theologis minoribus die 3. Februarii 1547. Patres autem exemplum horum articulorum iam die 1. eiusdem mensis acceperunt. CTr V 869 n. 3. Sententia heterodoxorum de Conc. Trid. labore datur apud Chemnitz, Examen Concilii Tridentini, ed. Preuss, Berlin 1861 (1 ed. 1563/73) p. 380 ss.

Historia huius disputationis necnon ipsius doctrinae evolutionio, quae multum ad ipsum decretum de communione sub utraque die 16. Julii 1562 editum cognoscendum refert, iam exarata est³⁾. Cum tamen decursu temporis acta concilii Tridentini ad primam partem eiusdem concilii spectantia edita sint, restat, ut hoc, quod hucusque attentionem fugit, breviter consideretur.

Prima vice in concilio Tridentino — saltem iuxta actorum eiusdem concilii editiones, quae hactenus apparuerunt, et praesertim iuxta amplissimam collectionem a Societate Goerresiana maiore in parte iam editam⁴⁾ — mota est haec quaestio die 3. Februarii 1547, dum valor decem articulorum, in quibus doctrina heterodoxorum de Augustissimo Sacramento Eucharistiae continetur, examinationi subiectus est⁵⁾. Nimirum Bartholomaeus Miranda O. P., theologus Hispanus a Carolo V in concilium missus, occasione septimi ex propositis articulis examinandi dixit locutionem Christi apud S. Joannem (6, 54) contentam de mandatione spirituali intelligendam esse. Hanc tamen sententiam non probat, nisi opinione „aliquorum“, qui probabiliter ad autores contemporaneos pertinent⁶⁾.

Brevi tempore elapso, scilicet die 7. Februarii 1547 sensus verborum Christi controversiae obiectum fit. Aliqui theologi dum conantur demonstrare totam adversariorum argumentationem fundamento carere, sententiam Mirandi sequuntur. Hic pertinent, praeter praefatum Hispanum, Petrus Paulus Caporella de Potentia O. M. Con. Neapolitanus, Aurelius Philippus O. S. A. de Roca contrata, Hieronymus Lombardellus O. M. Obs. Brixensis, Andreas Navarra, theologus saecularis, Hispanus, Ludovicus Carvajalus O. M. Obs. Hispanus, Georgius Alvarez a Vosmediano (Melchior de Bosmediano) Hispanus, theolo-

³⁾ F. Cavallera, L'interprétation du chapitre VI de saint Jean. Une controverse exégétique au Concile de Trente: Revue d'histoire ecclésiastique 10 (1909) 687—709.

⁴⁾ Acta, quae annum 1551 considerant, adhuc prelum expectant.

⁵⁾ Ex epistola Claudii Jaii S. J. Secretarii ad S. Ignatium 30. Januarii ann. 1547 data elucet maximam laboris partem in doctrinam heterodoxorum inquirendam atque in articulos damnandos proponendos fuisse hispanorum theologorum S. J., videlicet Jacobi Laynez et Alphonsi Salmeron, qui a Paulo III in concilium missi sunt. CTr V 835 n. 3.

⁶⁾ CTr V 874, 23 ss.

gus saecularis episcopi Pacensis, Georgius a S. Jacobo O.P. Portugallensis, theologus a rege Joanne III in concilium missus, Hieronymus Guilhelmi O.P. Portugallensis. Alii autem communionem a Christo apud S. Joannem I. c. commendatam sensu sacramentali interpretandam esse putabant. Hanc explicationem sequuntur Vincentius Leoninus O. Car. vicarius Panormitanus Siculus, Vincentius de Casale O.P. Portugallensis, theologus a rege Joanne III in concilium missus, Jacobus Laynez S.J. Hispanus theologus Pauli III. Non desunt theologi, qui eligunt „viam medium“, in qua utraque sententia componatur, videlicet interpretatio sensu spirituali simulatque sacramentali. Asseciae huius sententiae sunt Sebastianus de Castello O.M. Con. Italus, Franciscus Herrera, theologus saecularis Caroli V, Joannes Consilii O.M. Obs. doctor Parisiensis, Andreas de Vega O.M. Obs. Hispanus, doctor Salamanicus, qui — licet huic sententiae faveret — tamen ad interpretationem sacramentalem magis inclinabat. Denique iuxta Gasparum a Regibus O.P., theologum Joannis III Portugalliae regis „caput 6. Joannis intelligitur in Ecclesia esse necessariam non singulis sub utraque specie communionem“⁷⁾.

Quamvis praefati theologi sententias suas communiter absque speciali probatione adduxerint, non defuerunt tamen, qui doctrinam expositam probare conati sunt.

Imprimis uberius et fusius disputat de mota quaestione Vincentius Leoninus, qui iam decreto de iustificatione formando et edendo interfuit et breviter post (1548) episcopus Bosanensis nominatus, ann. 1556 mortuus est. In sua oratione, quam ad valorem decem articulorum examinandum atque declarandum die 7. Februarii 1547 in congregacione theologorum minorum protulit, motum textum S. Joannis enucleatus considerat eumque cum simili textu eiusdem Evangelistae, ubi de necessitate baptismi sermo occurrit (3, 5), comparat. Ex hac tamen comparatione gravis exsurgit difficultas, quia si baptismus ad salutem obtinendum necessarius est, pari necessitate communio sub utraque specie requiritur⁸⁾. Ut haec

⁷⁾ CTr. V 929, 13 ss.

⁸⁾ „Si igitur eadem est forma loquendi, sequitur, quod eadem est forma observandi; si omnes obligantur ad baptismum, ergo omnes obligantur etiam ad communionem sub utraque“. CTr V 889, 13 ss.

difficultas ex parte utraquistarum composita solvatur, ad interpretationem textus Joannei (6, 54) sensu spirituali fugere non sufficit, quia huiusmodi interpretatio cum contextu pugnat. Immo S. Augustinus, ad cuius auctoritatem „spiritualistae“ provocant, tum locis ab eis adductis, tum in aliis operibus suis motum textum minime in sensu spirituali intelligit. Intelligit quidem „caput illud Joann. 6. de sumptione corporis et sanguinis Christi sacramentali, quae spiritualis est in respectu ad manducationem carnalem“⁹⁾. Saepe saepius interpretatur etiam episcopus Hippo-nensis hunc textum in sensu spirituali, loquitur tamen magis de effectu communionis (res tantum), quam de sumptione ipsa. Nonnumquam deficiente possibilitate sumendi communionem sacramentaliter, tempore scilicet poenitentiae peragendae, textus S. Joannis — ut dicit Augustinus — in sensu sumptionis spiritualis, videlicet per fidem intelligi potest. Similiter dicendum est de variis adductis auctoritatibus; „praecipui enim et sanctissimi doctores tenent, caput illud Joann. 6. intelligendum esse de sumptione sacramentali“¹⁰⁾. Immo nec datur restrictio, iuxta quam apud Joannem l. c. esset „praeceptum de sumptione quidem sacramentali, quod impletur in manducatione tantum corporis sub specie panis; manducando enim corpus bibitur etiam sanguis, quia corpus est vivum“¹¹⁾.

Attamen, quamvis textus Joanneus in sensu sumptionis sacramentalis intelligatur, minime ad utraquistarum sententiam dicit. Ex comparatione enim huius textus cum alio, ubi de necessitate baptismi sermo est, nulla sequitur necessitas sacramentalis communionis pro parvulis, quia ad baptismum accipiendum actus ecclesiae requiritur, „ad manducationem autem corporis et potionem sanguinis Christi... requiritur actus manducantis et bibentis“, examen scilicet conscientiae, cuius parvuli non sunt capaces¹²⁾. Insuper nec restat divinum praeceptum, quo adulti teneantur ad communionem sub utraque specie suscipiendam, quia tum ex verbis ipsius Domini (Jo 6, 59) tum ex eius exemplo (Luc. 24, 30) manifeste elucet Christum huiusmodi praeceptum omnino derogasse.

⁹⁾ CTr V 889, 32 ss.

¹⁰⁾ CTr V 890, 2.

¹¹⁾ CTr V 890, 16 ss.

¹²⁾ CTr V 890, 40 s.

Haec tamen hypothesis de veri praecepti derogatione in theologorum congregationibus multum non valuit, quia eodem die surgunt doctores, qui oppositam sententiam sequuntur, licet loculentiore probatione abstineant.

Quarto autem die post orationem Vincentii Leonini elapsa (11. II) Hieronymus Lombardellus in suo voto verboso profert „rationes, motiva ac probationes, quibus decem articuli de SSmo Eucharistiae Sacramento propositi ostenduntur haeretici et ut tales a s. synodo Tridentina merito dammandi“¹³⁾. Occasione articuli septimi textus S. Joannis (6, 54) inquiritur, qui in sensu manducationis spiritualis interpretandus est.

Ad suam sententiam probandam investigat Lombardellus methodo exegetica adhibita totum contextum eumque in luce tum expressionum S. Joannis tum consimilium textuum aliorum Evangelistarum sciscitatur. Insuper provocat auctor ad S. Augustinum, cuius nonnullis testimoniis adductis, eisdemque praesertim, quibus adiuvantibus Leoninus suam thesim probare conatus est, concludit sententiam, quam defendit, exprimere sensum proprium et germanum tum Scripturae tum S. Augustini¹⁴⁾. Huiusmodi verborum Christi interpretatio sequitur etiam ex praxi totius Ecclesiae primitivae, in qua datur communio sub una tantum specie; talis usus magis magisque in ecclesia fit universalis, qui si falsus esset infallibilitas ecclesiae salvari non posset.

Si autem tum tempore Christi et Apostolorum¹⁵⁾, tum tempore Patrum communio etiam sub una specie administrata erat, si iste usus postea generalis evadit, sequitur textum Joanneum in sensu communionis sacramentalis intelligendum esse ideoque nullum fundamentum cuiusdam praeepti divini de communione sub utraque pro omnibus fidelibus ponere¹⁶⁾.

Quamvis tamen oratio docti Neapolitani solidis argumentis firmata videatur, theologorum sententiae posthac in diversum tendebant. Alii admittebant interpretationem verborum Christi sensu spirituali, alii autem sensum sacramentalem praeferebant.

¹³⁾ CTr. V 913, 12 ss. Hoc votum, propter singulare eiusdem momentum, editur non sicuti communiter alia in summario, sed in extenso et quidem ex originali autographo.

¹⁴⁾ CTr V 918, 44 ss.

¹⁵⁾ Argumentum deducitur ex Jo 6, 52. 59. Luc 24, 30; Act 2, 42.

¹⁶⁾ CTr V 918, 17 — 920, 13.

Die 18. Februarii Joannes Consilii, theologus Parisiensis exposuit longam orationem, in qua decem heterodoxorum articulos fuse recenset. Deinde occasione articuli septimi declarandi ad interpretationem textus S. Joannis (6, 54) venit. Evidem multa hac de re fuisse dicta fatetur. Ipse tamen elegit sententiam eorum, qui utramque interpretationem sacramentalem simulatque spiritualem sequuntur.

Licet haec theoria „viae mediae“ prima vice in concilio Tridentino — saltem in luce actorum eiusdem concilii — proposita sit a Sebastiano de Castello¹⁷⁾, quem postea Franciscus Herrera secutus est¹⁸⁾, uterque tamen praeter solam sententiae sua expressionem nihil dicit, ex quo sensus atque valor propositae opinionis diiudicetur.

Joannes Consillii primo inquirit valorem interpretationis spiritualis. Per multis adductis testimoniis S. Augustini, cuius auctoritas praesertim a fautoribus huius interpretationis adhibita est, eisque etiam in luce Doctrinae S. Cypriani consideratis, concludit S. Doctorem „hunc sermonem Domini non solum de spirituali manducazione intelligere“¹⁹⁾. Ad probandam suam sententiam provocat etiam ad consilium Ephesinum, cuius verba de sacramentali manducazione intelligenda esse asserit²⁰⁾. Quamvis tamen textus Joanneus etiam de sacramentali communione intelligi possit, nulla exinde necessitas communionis sub utraque oritur, quia qui speciem panis dumtaxat manducat accipit et sanguinem, qui per naturalem concomitantiam cum vivo Christi corpore coniungitur. Etenim praxis communicandi sub specie tantum panis iam in primis ecclesiae saeculis, immo tempore Christi et Apostolorum nota est, unde sequitur praefatum textum

¹⁷⁾ CTr V 907, 4.

¹⁸⁾ CTr V 934, 5 s.

¹⁹⁾ CTr V 953, 10 ss. Notandum est tamen tum S. Augustinum tum S. Cyprianum locis ab oratore adductis argumentum convincens non praebere.

²⁰⁾ CTr V 953, 12. Sermo est de XI anathematismo Cyrilli, ubi dicitur: „Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse... A. S.“ Denzinger-Umburg, Enchiridion, n. 123. In margine editionis huius concilii, quam Joannes Consilii habuit, ad expressionem „carnem ...vivificatricem“ fuit annotatiuncula: „Ex hoc constat concilium hoc de manducazione sacramentali loqui“. CTr V 938, n. I.

S. Joannis sensu sacramentali intelligendum esse, licet nullum de communione sub utraque specie praeceptum imponat, eundemque textum in sensu quoque spiritualis mandationis interpretandum esse, in quantum communio sacramentalis (*res et sacramentum*) ad animae nutrimentum (*res tantum*) instituta est²¹⁾.

Quaenam sententia maiore probabilitate polleat?

Cum theologi iuxta concilii procedendi modum²²⁾ argumentis praesertim positivis sententias suas probare conati sint, elucet valorem cuiuslibet sententiae eiusdem argumentorum firmitati proportionatum esse. Jamvero principale argumentum, quod in qualibet sententiарum expositarum adducitur ex testimoniis S. Augustini hauritur. Attamen utrum Episcopus Hippensis textum S. Joannis (6, 54) in sensu spirituali an sacramentali interpretatus sit, hucusque incertum est²³⁾. Immo cum tempore concilii Tridentini usque ad ultimum diem, qui solemnem decreti de communione sub utraque specie editionem praecedebat, variae hac de re tum theologorum tum patrum sententiae fuerint, ipsum concilium nullam sententiam approbavit sed tantum dixit: „Neque ex sermone illo apud Joannem sexto recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse, ut cumque iuxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur“²⁴⁾.

Ex hac brevi expositione manifeste elucet sententias, quae ad textum Joanneum interpretandum in secunda et tertia concilii Tridentini parte multos defensores habuerunt, quod hodie, praesertim post articulum supra citatum neminem latet, iam in prima concilii parte omnino evolutas esse. Immo sub influxu disputationis in hac prima parte peractae doctrina in posterioribus sessionibus evoluta est, quia tum acta huius partis minime ignota fuerunt, tum etiam multi eorum patrum et theolo-

²¹⁾ CTr V 953 s.

²²⁾ St. Frankl, *Doctrina Hosii de notis Ecclesiae....* Romae 1934, 150 s.

²³⁾ J. Tixeron, *Histoire des dogmes*, Paris 1931, II, 412 ss.; Co meau, *Saint Augustin Exégète du quatrième évangile*, Paris 1930, 173, ubi legitur: „Dans ces conditions, il est bien difficile de déterminer quelle fut la véritable position d'Augustin devant le sixième chapitre de saint Jean“.

²⁴⁾ CTr VIII 699, 5 ss.

gorum, qui primae parti interfuerunt, in congregationibus sequentibus partem habuerunt.

Quae cum ita sint, sequitur affirmationem eorum, qui dicunt interpretationem textus Joannei tempore sessionis XIII (ann. 1551) prima vice obiectum disputationis concilii fuisse, fundamento carere²⁵⁾.

Lwów

Stanislaus Frankl.

²⁵ F. Cavallera in op. c. p. 687 ita dicit: „Une première fois, lors de la session XIIIe, les Pères s'occupèrent accidentellement de ce chapitre (VI) et de son interpretation; la question fut traitée *ex professo plus tard...*“